



DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

CAVSIS
EXPELLENDI COLONOS

QVAM

PRO RITE CAPESSENDIS
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

PVBLCO CERTAMINI

SVBMITTET

AVCTOR

DIEDERICVS ENGELKEN

BREMENSIS.

GOTTINGAE,

TYPIS IOANN. CHRIST. DIETERICH.

1793.

Dissertatio de iure expellendi colonos.

3/
219

1798.3



DISSECTIO IN VARIIS PARTIBUS

CA. 7. 318

EXPELLIBUS COLONIS

QVAE

PROPTER HANC CAUSAM

SUMMIS IN VITROQUE PARS HOC ORIBVS

AVDOR

DIEDERICHVS LINDE

GOTTINGAE

MDCCCLXXXIII



§. I.

Praecognoscenda.

Ius villicale Germaniae moribus ortum habere a plerisque affirmatur.

Nihilominus magna dissensio de villicorum origine et iure in fundos ab iis cultos inter viros doctos enata est.

Nam alii villicis ius hereditarium adscripserunt, alii, eos tantummodo iure conductorum temporario frui, perhibuerunt.

Quo posito, dominus colonum pari modo ac simplicem conductorem expellendi iure gauderet; quae sententia tamen a multis rectius improbatur, neque ab aequitate abhorrens, verisque fundamentis destituta, sequenda est.

Id vero dubitationem non admittit, temporibus antiquioribus ius villicorum hereditarium in plerisque Germaniae territoriis in usu non fuisse; et plerique fatentur illis temporibus partem colonorum maximam curtem a domino commissam nequaquam hereditario iure tenuisse, nullum domini genus illis fuisse, sed tanquam meros administratores rerum alienarum constitutos et dimissos esse, neque libertatem dominorum pro lubitu colonos dimittendi vllis limitibus constrictam fuisse.

Cum autem, quanto detrimento tam villico quam domino haec latissima expellendi potestas sit, apparuisset, rei-

publicaeque interesset, ut coloni oneribus publicis coloniis impositis ferendis essent, paullatim moribus legibusque ius colonorum hereditarium introductum et libertas dominorum colonos expellendi ad certas causas adstricta est.

- a) Struben Tom. 4. Bedenf. 90. idem commentatio de iure vill. C. 4. §. 4. Denecken Dorf- und Landrecht. L. 2. C. 9. §. 12. Struben 4. Bed. 90. §. 4. idem comment. C. 8. §. 22.

§. 2.

Vnde effectum, ut hodie procul dubio illis ius hereditarium competat, neque amplius dominis pro lubitu colonos expellendi liberum sit.

Has causas, ob quas permiffum est, colono fundum auferri, tradere, mihi res magnae grauitatis visa fuit, hinc mihi illas hoc loco enarrare proposui.

In his tractandis magna difficultas inde sese emergit, quod leges particulares, consuetudines et locorum et singularum prouinciarum minime in determinandis expellendi causis conspirant; contra maxima dissensio perscrutatur sese exferit, ac nunquam obliuiscatur, necesse est, non easdem causas expulsionis per Germaniam obtinere permultas obseruantia et iure particulari niti semperque has ante omnia attendendas esse. Quod si fecerit non fieri potest, quin controuersias enatas recte decidat.

Quibus praedictis ad causas ipsas progredior, conuenienterque regulae nostrae examinanti mihi iura particularia consuetudinesque, hae causae plerumque sese exferunt: 1) si canonem non soluerit; 2) si villam deteriorauerit; 3) si contractum renouare detrectet; 4) si villam vel partem eius sine domini consensu alienauerit; 5) si colonus villae curam

curam gerere ipse non valeat; 6) si ius villicale pacto ad certum tempus adstrictum sit; 7) si dominus propriis vrbis villam necessariam esse probauerit.

Inde ad primam causam exponendam pergo, de qua differendum mihi erit paulo latius.

§. 3.

I.) *Si canonem non soluerit.*

Contractus inter dominum et meierum celebratus producit duplicem obligationem, ex parte domini colono curtem villicalem concedendi, ex parte meieri pro concessio fundi vsu canonem secundum legem contractus solvendi. Nil vero refert, vtrum canon in fructibus vel pecunia, an fructibus et pecunia simul consistat.

Iam vero definiendum, an bona villicalia emphyteuticis accenseri queant?

Diuersa horum bonorum natura, quaestionem affirmari non patitur. Canon, qui a colono datur, facile ex dictis discernitur ab emphyteuticario; ille pro concessio praedii vsu, hic in recognitionem domini directi praestatur.

Ibi canonis quantitas fructibus proportione saepe respondet, cum contra emphyteuticus canon persaepe minima re constare possit, et in recognitionem domini tantum praestatur, ideoque ob sterilitatem minuitur pensio villici, aliter ac in emphyteusi.

Semel incumbente colono obligatione pro fructuum perceptione canonem soluendi, quaestio oritur, vtrum ob intermissam pensionis solutionem amittat ius fructus percipiendi, an potius plenarie domino expellere liceat?

De hac quaestione, iure communi deficiente, iura particularia examinanda esse puto, quibus inspectis inuenitur magna diffensio; cum alia ob hanc rationem minime a), alia autem expresse poenam expulsionis irrogant b).

Hanc poenam, deficientibus iuribus particularibus, locum habere, a multis Iuriscoisultis contenditur.

a) Constitut. elector. Saxon. p. 2. Constit. 39. disertis verbis declarat: "von wegen schlechter Zinsen, bona censitica genannt, machet sich der Zinsmann des Gutes nicht verlustig, wenn er gleich die Zinsen davon nicht gebührlig entrichtet."

b) Ita disponit Meyerordnung für das Churfürstenthum Calenberg von 1772. C. 8. §. 1. vbi:

"Die Abmeyerung hat statt, wenn der Meyer an dem dem Guts Herrn gebührenden Zins so viel restirt, als ein dreijähriges quantum beträgt."

§. 4.

Tempus intermissae solutionis.

Expulsionem ergo ob intermissam canonis solutionem domino, tam vi iuris specialis quam citra hoc, competere certi quidem iuris est, spectandum tamen est tempus, ex quo colonus canonem debeat, et cum generalis regula non exstat, sequendus est terminus, quacunquē provincia statutus a).

Plerumque spatium duorum vel trium annorum est praescriptum, atque vnius anni mora non sufficit; praeterea multis in locis requiritur, vt colonus ob debitam pensionem iudicialiter interpellatus sit et tamen praefraete et sine iusta causa non soluerit.

Vnde sequitur, expulsionem ob solam intermissam canonis solutionem, deficientibus requisitis traditis, locum non habere; obseruatis autem illis, colonum merito villa priuari.

a) PVFENDORF observ. iuris vniuers. Tom. 4. obs. 183. §. 1.

§. 5.

§. 5.

Si canon in totum non solutum sit.

Coloni, secundum iura et consuetudines Germaniae antiquioribus temporibus legis vigore gaudentes, praeter villae amissionem duplum adhuc debiti canonis solvere tenebantur, quod tamen hodie secus; sicut et paroemia "qui negligit censum, perdat agrum" nostris temporibus non aequae firmitate ac olim attenditur, atque effectu tantum gaudet, quando canon intra certum temporis spatium dolo vel culpa villici non soluitur a).

Colonus autem, damnis fatalibus afflictus, licet per plures annos canonem solvere desierit, nullo modo expulsionis dat poenam, quod eo magis aequitati consentaneum esse censo, cum nihil admiserit, propter quod iure suo cadat b).

Itaque ex dictis patet, quamcunque solutionis intermissionem effectum privationis non inuoluere optimoque iure semper distinguendum esse, vtrum canon fortuna aduersa, an dolo vel culpa praestanda non solutum sit.

Priori casu locum tantum habet privatio ob in totum non praestitum canonem per annos lege definitos, vti ex verbis, "si canonem non soluerit", colligitur. Posteriori casu autem expulsionis locus non est, licet intra plures annos ac constitutos canonem solvere desierit.

a) LEYSER Medit. Spec. 103. Medit. 2. 3. 4. 5.

b) Struben tom. 2. Bident. 127.

§. 6.

Si pars canonis non soluta sit.

Sufficit ad evitandam caducitatis poenam, vt aliqua solvatur pensionis pars; licet a nonnullis ob id expulsio eodem modo,

modo, ac ob solutionem in solidum non factam affirmatur *a*). Quorum opinio verba legis et mentem extendens reprobanda est. Nam ad casum plane non soluti canonis spectat sanctio, "si canonem non soluerit", cum potius regula iuris est; in causis dubiis melius esse verbis legis feruire L. 1. §. 20. D. de exercit. actio., quam extensiuam interpretationem admittere. Quocirca verbis legis, "si canonem non soluerit," standum esse, neque interpretationem extensiuam admitti posse, perhibeo.

Neque dimouent argumenta, quae ex iure romano petuntur, ut enim reliqua omnia taceam, hoc unum reposuisse sufficiat, contractum villicationis esse proprium Germanorum institutum, Romanis incognitum, ideoque male Principia iuris romani nostris moribus applicari.

Vnde in hac re, nulla ratione iuris romani habita, solummodo iura particularia et consuetudines rectius consuluntur, neque argumentum a colonis Romanorum ad nostros rusticos duci potest, sed natura contractus ius et obligationes colonorum priuatiue ex moribus et iure patrio addiscenda sunt, quapropter etiam Doctores rationes dirimendi controuersias, circa canonem enatas, peruerse e legibus romanis eius negotii penitus nesciis petunt.

Cum vero leges nostrae simpliciter de in solidum non soluto canone loquantur, tantum ob intermissam totius canonis solutionem expulsionis poenam statuiffe videntur *b*). Sin autem pars canonis non solutum sit, verbis legis, "si canonem non soluerit" plures anni, ac plane non soluto canone, requiri videntur, iuxta verba legis; si colonus tantum canonis debet, ut quantitatem totius canonis duorum pluriumue iure statutorum annorum assurgat.

Hinc

Hinc colonus sine vlla dubitatione, etsi partem canonis dimidiam per quatuor vel plures annos non soluerit, nullo modo caducitatis poenam patitur; nam aliud est, partem non soluere, et nihil soluisse. Sin autem plane per biennium non soluerit, iure suo cadit. Id autem non obtinet, vbi expresse cautum est, vt ob non ex parte solutum canonem expulsionis locus sit.

Quibus in locis vero hoc legibus specialiter non prouisum est, ibi mora solvendi caducitatem curiae villicalis non operatur dominoque tantum ad suppleendam pensionem agendi potestas data est.

- a) STRYVEN commentatio ad ius vill. C. 8. §. 10. PVFENDORF tom. 4. obl. 183. §. 3.
 b) v. Buri von den Bauergütern. p. 482.

§. 7.

An ob fructuum minoris pretii vel deperditorum solutionem expulsio locum habeat?

Colonum expulsionis poena coercendum esse ob solutos deteriores fructus, promissis a celeberrimo infra allato Iurisconsulto ex rationibus non sufficientibus, affirmatur a).

Nam idem esse, inquit, vtrum quis falsis monetis debitum, an deperditis vel deterioribus fructibus, quam promissi fuerunt, canonem non soluisset.

Ad diiudicandam exactius hanc opinionem, naturam et indolem a colono soluendorum fructuum paucis disquirere, meum duxi.

Primum, fructus secundum qualitatem et quantitatem conuentam praestari, res ipsa loquitur; deinde domino ius non esse maiores ac per pactum licet, neque alios, quam e

B
fundo

fundo prouenientes, postulandi, ex modo dictis itidem nullo negotio colligitur certique iuris est *b*).

At quaeritur, an idem obtineat, quando colonus magnam operam atque industriam fundo nauauerit, indeque effectum fit, vt fructus solito maiores seu vberiores perceperit?

Quaestionem affirmandam esse, reor, quoniam domino fructus, quales quocunque anno e fundo proueniunt, debentur, minime autem fructus minoris pretii, deperditos vel anno praeterito perceptos obtrudi possunt.

Hactenus de fructuum natura eosque praestandi obligatione dictum est, nunc, dispiciamus, necesse est, an et quando expulsi loci sit. Iam supra dictum est, pensionem etiam in fructibus consistere posse nihilominusque eodem iure censerit, ac si in pecunia constitisset, neque villicum aliter ius suum amittere, ac si fructus per constitutum tempus non soluisset. Sin autem fructus viliores promissis praestiti fuerint, domino non competit ius expellendi, sed ad explendum id, quod deest, agere debet.

Plane autem haec solutio a solutione reprobis monetis facta differt, nam haec nullius pretii et sicuti res in commercio non constitutae considerantur, minimeque fructibus minoris pretii equiparantur.

a) v. BYRI. l. c. p. 382. N. b.

b) STRYBEN tom. 3. Bedent. 112. Tom. 5. Bedent. 44.

§. 8.

Canon ex iusta causa a colono denegatur.

Domino eodem modo ac colono contractum implendi incumbit obligatio, quapropter in coloni praerudicium nihil suscipere debet, quo eius conditio deterior fiat.

Itaque

Itaque a colono maiorem ac pactam summam petere vel partem sancti inuito colono adimere non licet, cum, re-tracta villae parte, quantitas canonis reuera augetur.

Erepta vero coloniae parte colono ad diminuendam pensionem quidem actio comparata est, siu autem hac contentus esse nolit, solutio ab eo, quamuis pars canonis remissa sit, merito recufatur; idque eo rectius statuitur, cum non solum, vt plurimum fieri solet, partis adenti fructus remissam pensionis summam superent, verum etiam tali modo a dominis, remisso toto canone, colonia auferri possit.

Nouis autem colonis idem ius, quod antecessori compete-
bat, est indulgendum, quando iure hereditario succedunt. Aliter res se habet in colonis, quibus de nouo colonia confer-
tur, nam meliorem conditionem accipere et maiorem cano-
nem stipulari, vtique permissum est, nisi ob rationem vtilita-
tis publicae aliud sit cautum.

Sed hoc domino interdictum est, si ex fundis, quos de nouo confert, reipublicae onera debentur a).

a) Struben tom. I. Bedenk. 144.

§. 9.

2.) *Si villam deteriorauerit.*

Villico per contractum villicalem dominium vtile et per consequens ius re vtendi fruendi salua eius substantia con-
cessum est; vnde in litteris meieriis plerumque formula legi so-
let: "daß der Meyer das Land nach seinem besten Nutzen
mit allen Pertinenzien gebrauchen solle." Hac formula au-
tem re pro lubitu vtendi et de ea liberrime disponendi facul-
tas non concessa est, sed potius obligatio, vt bonus paterfa-
miliis fruendi vtendi colono imposta est. Proinde officio boni

B 2

patris-

patrisfamilias semper fungi debet et quoad eius fieri possit, ei cauendum est, ne praedium vsu deterioretur vel fundi species citra domini consensum mutetur, sed re vti debet, vti est, salua substantia; quapropter siluam in pascua vel pascua in agros formare non licet.

Quibus non obseruatis, excidit iure suo. In modo eum caducitatis poena afficiendi tum sic proceditur:

Quodsi villa iam deteriorata sit, praeuia denunciatione de migrando colonus intra certum temporis spatium de ea cedere debet.

Vbi vero ob malam villici administrationem deterioratio tantum metuenda, cautionem praestare debet, se melius villam administraturum.

Praeterlapso autem constituto termino, neque impleta cautione priuatione iuris punitur. Nam reipublicae interest, ne colonorum ignauia et mala administratione villae deteriorenter vel destructae reddantur.

v. Buri von den Bauergütern. p. 452. N. b.

§. 10.

3.) *Si contractum renouare detrectet.*

Cum vbique villicis eodem modo contractum renouandi obligatio non imposita sit et magna inter nouum colonum et eius antecessorem occurrat differentia, de singulis agemus speciatim, ideoque primum de renouatione contractus villici, cui de nouo non iure hereditario confertur meieria, sermo mihi erit *a*).

Colonorum et obligationes et iura contractu villicali nituntur, inprimisque ex hoc addiscenda sunt; quamobrem
necesse

neceſſe eſt, vt omnes villici, quibus de nouo ius colona-
rium conſtituitur, contractum renouent litterasque meierias
ſibi a domino expoſtulent. Litterae tamen gratis non dan-
tur, ſed a domino pro renouatione contractus et receptione in
villam laudemium exigitur.

Quodſi villicus contractus renouationem et laudemii
praefationem neglexerit, neque enim dominum aliter leges
prouinciales ad renouationem obſtringunt, quam ſi illam de-
ſiderat colonus, ſummo iure ei litteras meierias denegantur;
ſicut et datas litteras eo nomine iuſte condicuntur; quod et
rei naturae apprime congruens eſſe videtur, dominus enim
nullo iure cogi poteſt, vt de nouo tradat fundum ingrato,
qui id, quod ex eo debetur, ſoluere praefraſte recuſat.

Si igitur hoc in ſe admiferit, iuſte expellitur; neque
iniuria. Etenim omne ius in curtem acceptum fert litteris
meieriis, his, tamquam titulo poſſeſſionis, deſtitutus, me-
rito fundo dimittitur.

Contractus renouatio autem non ſolum, quando de
nouo conſertur ius meierium, verum etiam aliquando ab iis,
quibus iam ius meierium conſtitutum fuerat, requiritur.

Haec renouatio, tametſi quaedam iura particularia
ſingulis nouenniis reiterari iubent, tamen laudemii cauſa po-
tius, quam ob metum praefcriptionis domini per decennium,
vt nonnullis viſum eſt, introducta eſſe videtur *b*).

Aſt horum ius pinguius eſt, quam illorum, quibus de
nouo colonia conſertur. Nam etiamſi nouam a domino con-
ceſſionem impetrare neglexerint laudemiumque praefitum non
ſit, tamen in his ius dominorum expellendi arctioribus limi-
tibus circumſcriptum eſt, neque fundum derelinquere tenen-
tur, dummodo canonem iuſto tempore ſoluerint *c*).

Quandoquidem autem laudemium duntaxat pro noua iuris colonarii constitutione domino soluitur, non debetur, quando noua collatione vel domini consensu in curtem villicalem succedendi non opus est. Quapropter is, cui colonia iure hereditario vel ex primordiali contractu defertur, ad laudemium soluendum non obstrictus est, ideoque noua concessione non indiget *d*). Sic etiam a primo acquirente descendens laudemium non praestat, quoniam illi ius ex prima concessione competit potiusque ius continuari, quam de nouo concedi censetur. Quod itidem obtinet, si uous ex pluribus defuncti coloni liberis praecipuo iure succedat *e*).

Vnde persuasum mihi habeo expulsionem locum non esse, quando laudemium a colono, cui iam ante concessum fuerat colonia vel eius descendente ex primaeva pactione succedente denegatum vel non solutum sit, nisi aliud lege particulari vel primaeva pactione cautum fuerit.

Laudemii quantitas in genere definiri nequit, sed plerumque a partium conuentione dependet et ex hac diiudicanda est *f*).

a) Struben Tom. 4. Bedenf. 90. §. 7.

b) Eiusdem commentatio de iure villicorum. C. 8. §. 1-16.

c) Denecken Dorf- und Landrecht. L. 2. C. 9. §. 12.

d) PVEENDORF. Tom. 3. obf. 34. §. 4.

e) Idem l. c. §. 7. Struben 3. Bedenf. 120.

f) PVEENDORF 3. obf. 34. §. 11.

§. 11.

4.) *Si villam vel partem eius sine consensu domini alienauerit.*

Alienatio cum sit actus, quo efficitur, ut id, quod nostrum est, nostrum esse desinat, ideoque facultas de substantia rei disponendi penes alienantem esse debet, facile percipitur

spicitur, colono de villae dominio vel parte eius sine domini consensu disponere non licere, ac, si alienatio suscepta sit, vt de re aliena legibus non adfisti.

Alienatio domini consensu non firmata secundum diuersa prouinciarum iura varios effectus parit. Nonnulla statuta poenam expulsionis *a*), alia nullitatem *b*), alia poenam pecuniarum distant *c*). Ex his ergo constitutionibus specialibus, an et quando ob factam alienationem expulsioni sit locus diiudicari debet. Nonnullis iuribus particularibus villae alienatio colonis est interdicta, sicut apparet ex verbis: "Das Gut nicht zu veräußern", quae verba tantum de translatione fundorum dominiotenus, minime de locatione ad tempus intelligenda sunt, quae illi vtique permessa est, dummodo ad villam administrandam conductor habilis sit; nihil enim refert, vtrum villicus ipse, an per alium bonis villicibus vtatur.

Quinimo si pars fundi ad dies vitae a colono, abundantia agrorum vel morbo coacta, locata sit, expulsionis poena non coeretur, nisi iure particulari expresse dictata sit *d*).

Quod etiam dicendum, si fundus sterilis sub lege meliorationis alteri locatus sit; nam per hanc locationem fundus neque alienatur nec deterioratur, nec domino praerudicium infertur, sed potius fundus melior redditur. Quod et rei naturae respondet. Quaecunque enim fundorum in alium translationes propterea colonis interdictae sunt, ne villa deterioretur vel in perpetuum pars ab ea separetur *e*); de his cum priori casu neutrum occurrat, merito ad dies vitae vel quamdiu ius colonarium duret, agrum locare est permiffum; et haec locatio sine domini consensu facta legibus non aduersatur, tacita enim contractui villicali inest, omnia remedia licita ad finem, puto re optime vtendi fruendi, perueniendi, adhiberi posse. Curare autem debet villicus, vt domino ex tota villa

villa debita pensio tempore iusto praestetur, cum pro parte a colono, pro parte a conductore pensionem accipere dominus non teneatur.

- a) Ius dominorum firmavit Recept. prov. Gandersb. de 1601 et 1607. §. 24. "Dem Gutsherrn soll, wenn der Meyer das Gut verkauft, vertauschet, versetzt u. frey stehen, denselben ab und einen andern aufzusetzen."
- b) Resol. Luneb. 1686. §. 6. erkläret alle Veräußerung für ipso iure nichtig, es wäre denn, daß sie mit des Gutsherrn Einwilligung geschehen oder in einem sonderbaren Nothfall, da man des Gutsherrn Einwilligung wegen Abwesenheit, oder daß die Sache keinen Aufschub leidet, nicht haben könne, ein Pertinenz-Stück dann auf höchstens 4 Jahre verpfändet, aber nicht gar davon veräußert, simili modo etiam Recept. prov. Hoyensis 1697. §. 5. statuit.
- c) In ordinat. pol. Hildesf. §. 85. sancitum legitimus: "Wenn ein Meyer einen Morgen Land, weniger oder mehr vom Hofe wegethet, oder sonsten Orts verkauft, soll der eine sowohl als der andere für jeß des Stück Landes 10 Rthl. zur Strafe erlegen."
- d) Struben 2. Bedenk. 47.
- e) Denecken L. 2. C. 9. §. 70.

§. 12.

Quatenus consensu domini fiat alienatio legitime.

Ex haftenus pertractis facile perspicitur, susceptam a colono alienationem sine consensu domini iure non subsistere, demumque domino consensum impertiente firmitatem obtinere.

Notandum vero est, non quamcunque alienationem consensu domini accipere vires, saepe, quamvis dominus consenserit, alienationem sine viribus manere nec dominium in alium transferri.

Sic secundum constitutionem Luneburgicam ne domini consensu quidem colono ius inter liberos intuitu bonorum villicalium disponendi permillum est; multo autem minus alienatio

natio vim habere potest, quando in praeiudicium liberorum absque eorum consensu facta sit. Facilius vero, liberis non exstantibus, bona villicalia consensu domini valide alienantur neque eius rescissio metuenda est.

v. BVRI l. c. p. 463. 464.

§. 13.

5.) *Si villicus ad villam curandam non amplius habilis sit.*

Nonnulla iura particularia dominis ius villicis coloniam adimendi tribuunt, simulac plene constat, eos fundi curam gerere non amplius valere a).

Tamen ad hanc notoriam inhabilitatem requiritur, vt colonus neque ipse villam administrare, neque aliis eius curam committere vel per eos agros colore possit, vel per hanc inhabilitatem villa reapse iam deteriorata sit. Ob hanc causam meierum fundo dimitti, iam supra dictum est.

Ob inhabilitatem autem ipsius coloni expulsio non est statuenda, dummodo per alios villae curam habere possit et domino pensio soluatur b). Vnde villicus, qui ob senectutem villae supereffe non valeat, non dimitti potest, cum, quamdiu viuit, ex contractu villa ad eum pertinet neque iuste aliis conferatur.

a) Sic cautum est in Resolut. Luneb. de 1686, "daß die adliche und andere Gutsherrn ihre Gutsleute, wenn sie kundbarlich den Höfen fern vorzustehen untüchtig und unvermögend sind, einsetzen mögen."

b) BVRI l. c. pag. 486.

§. 14.

6.) *Si tempus contractu villicali constitutum exactum sit.*

Praeter iam dictas causas olim praeterlapso contractui tempore adiecto colonus villa discedere tenebatur, nisi contractum consensu domini renouare mallet.

Hodie villicus, licet tempus contractui adiectum exactum sit, de villa cedere nequitiam tenetur, cum eiusmodi pacta in pluribus Germaniae prouinciis ob rationem utilitatis publicae colonorumque pro non adiectis habeantur *a*).

Itaque, quamuis contractus ad certum tempus adstrictus sit, tamen haudquaquam domino facultas colonum expellendi concedenda est, neque eo secius contractus semel initus consistit taciteque inter dominum et villicum renouatus censetur.

Pariter ob necessitatem superuenientem rem propriis domini vsibus postulantem colonum suo iure priuari non permittitur, semel enim villicis concessio iure hereditario quaecunque reuocatio cessat, idque vertitur in eo, quod dominus per concessionem pure factam iuri suo renunciaffe censetur; quod aliter atque in contractu locationis conductionis obtinet, de quo ad villicalem non valet consequentia *b*).

a) STRYBEN commentat. de iur. vill. C. 8. §. 12.

b) BVRI l. c. p. 484 seqq.

§. 15.

Modus expulsionis.

Absolutis causis expulsionem inprimis inuoluentibus, restat, vt adhuc pauca de modo expulsionis dicamus.

Expul-

Expulsionem autem definire licet tanquam actum, quo colonus villa omnibusque ab ea dependentibus iuribus privatur.

Haec expulsio nunquam sine iustis causis. et privata auctoritate fieri potest.

Ipse autem expulsionis actus praeuia causae cognitione per sententiam iudicis fieri debet *a*).

Causa tamen summatim cognoscitur, nec, quando in scriptis agitur, ultra duplicas progredi licet *b*).

Hinc a prima sententia non appellari licet, nisi nullitas a colono probari possit.

Depulso autem colono bona ad eius allodia pertinentia, praeuia aestimatione et deductis deteriorationibus, restituantur.

a) Denecken L. 2. C. 9. §. 12.

b) STRYBEN. t. 4. Bedenk. 172. PVFENDORF. t. 3. obl. 88.

T h e s e s.

I.

Scriptura regulariter non pertinet ad essentiam sed ad probationem contractus.

II.

Néque testi iniurato creditur, neque uni testi fides adhibetur.

III.

Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

IV.

Pactum legis commissoriae in pignoribus est reprobatum.

V.


Pure facta donatio ob superuenientiam liberorum renocari non potest.

ULB Halle
004 813 057

3







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

TIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

CAVSIS

ENDI COLONOS

1798.3

QVAM

RITE CAPESSENDIS

TROQVE IVRE HONORIBVS

PUBLICO CERTAMINI

SVBMITTET

AVCTOR

ICVS ENGELKEN

BREMENSIS.

OTTINGAE,

ANN. CHRIST. DIETERICH.

Handwritten: 1798.

Inches
Centimetres

Farbkarte #13